

## MEDITATIO XIV.

*De eo quod Joseph voluit dimittere Mariam conjugem suam.*

## PUNCTUM I.

Sanctos  
veteris  
Test. su-  
perat.

SANCTITAS Josephi : nempe pro munere , ad quod fuit electus. Superavit patriarchas : fide , Abrahamum ; tolerantiā , Jacob ; castitate , alterum Josephum ; consuetudine cum Deo , Moysen ; caritate populi , Samuelem ; humilitate et mansuetudine,

Volum  
Castitatis.

Davidem. Ut divinis vacaret , voto se castitatis obstrinxit , quam ita eximiè consecutus est , ut ex consuetudine familiaris Virginis , nihil animus ejus contraheret ; imò ad amorem ejus virtutis magis accenderetur.

## PUNCTUM II.

Exercita-  
tio Joseph  
et Mariae.

Quòd Deus non revelaverat Josepho mysterium , sicuti Elisabethæ et Zachariæ , ad exercitationem virtutis tum Mariæ , tum Josephi : dum hic angitur de sponsæ lapsu ; illa , de infamiâ apud justum. Sic suos probat Deus. *Proba me , Domine , et tenta me.* Et debet cum gaudio suscipi , quandò absque culpâ nostrâ , et præsertim quandò potius propter virtutem tribulatio contingit , ut Mariæ.

*De eo quod Joseph voluit , etc.* 197

## PUNCTUM III.

Quæ indè eluxerint virtutes Josephi : Patientia , in dissimulando factum , non exprobrando , non deferendo ; prudentia , dum cogitat dimittere , cum quâ , ut adulterâ , non conveniebat habitare ; nec id præcipitat , sed volvit animo. In Maria elucet , 1. Humilitas , nihilominus mysterium reticendo , nec apud maritum ullam sū defensionem afferendo. Non sic ego , qui effutio , si quid ad honorem facit ; et mille lexo excusationes in peccatis. 2. Confidentia in diuinâ Providentiâ , cui se per orationes commendabat.

Hinc quæ  
virtutes.

## PUNCTUM IV.

Revelatio per angelum. Nimirū humanis mediis deficientibus , præstò sunt divina. Expende gaudium et gratulationem utriusque , necnon revelationis ipsa verba. Exemit scrupulum : *Noli timere.* Sponsum purgat : *De Spiritu sancto est. Nutritum , et quasi patrem Christi constituit : Vocabis nomen ejus Jesum.* Matt. 21.

Revelat  
Deus.

## PUNCTUM V.

*Et accepit conjugem suam ; introduxit in domum nec tamen cognovit usque ad partum , nec post. Qualis deinceps inter eos convictus ?*

## MEDITATIO XV.

## De expectatione Partus.

## PUNCTUM I.

Nascendi  
deside-  
rium in  
Christo.  
*Luc. 12.  
50.*  
Quomodo ipse Christus infans expetierit ardenti  
desiderio perficiendi salutem nostram ; ut jam tunc  
diceret : *Baptismo habeo baptizari ; et quomodo coar-  
tor, usque dum perficiatur ? Nihilominus continuat-  
sese per novem menses , neque ad diem secum dis-  
pensavit , quod ea inclusio poena quædam esset , ad  
satisfaciendum pro nobis ; quales occasiones non  
omittebat. Deinde , erat quasi quidam secessus , in  
quo opus suum Patri commendabat , antequam illud  
aggrederetur ; sicut in deserto comparavit sese ad  
prædicandum , per dies quadraginta.*

## PUNCTUM II.

In Beat.  
Virg.  
*Cant. 8. 1.*  
Desideria B. Mariæ videndi , et fruendi aspectu  
Filii , quem sciret Deum , et ex ipsâ , hominem :  
item fovendi , serviendi ipsi , maternaque obsequia  
exhibendi , pro eo quod dignatus esset ipsam habere  
matrem. Quare dicebat : *Quis mihi dñe te Filium meum,  
ut inveniam te foris , et deosculer te ? et tandem opta-  
bat eum prodire , communis salutis causâ. Ego si-  
militer in me desideria excitabo , ut Christus in me  
et aliis nascatur per gratiam , utque illum omnes  
ament , eique serviant. Item conceptos animo salu-*

## De expectatione Partus.

199

tares affectus , ut pariam , et in rem deducam , ad-  
nitar : quod mi fiat , velut foetus , ultra tempus utero  
inclusus , excruciat matrem , ita cohibite inspirationes  
divinæ exulcerant mentem. Desideria , inquit Sa-  
piens , occidunt pigrum : *Vult quippè , et non vult.*  
<sup>Prop. 1.</sup>  
*Unde monet Apostolus : Spiritum nolite extinguere.*  
<sup>Prop. 13.</sup>  
*Huc referri possunt antiphonæ Ecclesiæ : O Sa-*  
<sup>4.</sup>  
*pientia ! etc.*

## PUNCTUM III.

Expectabat Diva partum , certa de integritate suâ ;   
<sup>B. V.</sup>  
siquidem integra conceperat , et habebat firmum <sup>certa de</sup>  
propheticum sermonem : *Ecce Virgo concipiet , et pa-*  
<sup>virginitate.</sup>  
*riet Filium , et vocabitur nomen ejus Emmanuel , quod*  
<sup>Iia. 7. 14.</sup>  
*est interpretatum nobiscum Deus.* Et se illam esse con-  
siderans , de quâ prædictum erat , exultabat *spiritus*  
ejus in *Deo salutari suo* , dicebatque : ô tu vere mihi <sup>Matt. 1.</sup>  
*Luc. 1. 47.*  
Emmanuel ! nam et Gabriel ad me : *Dominus tecum.*  
Cæterum non angebatur de futurâ partûs difficultate ,  
doloribusque , ut cæteræ matres , quandò ipsa sine  
carnali voluptate conceperat. Tantum erat intenta præ-  
parandæ animæ affectibus pietatis , ad vicinum par-  
tum ; qualiter nos convenit disponi ad Christum ex-  
cipendum , juxta Præcursoris monitum : *Dirigate Joan. 1. 23.*  
*viam Domini ; intentionem dirigite , superbiam de-  
primite , asperitatem morum deponite.*

**MEDITATIO XVI.**

*Profectio B. Virginis in Bethleem ex Nazareth.*

**PUNCTUM I.**

*Extra pa-  
tria nasci-  
tur.*

QUOD Christus , destinato consilio , suum in mundum ingressum ita disposuit , ut esset illius modus , nobis quidem ad exemplum quam utilissimus ; ipsi vero ad ferendum per molestus et gravis . Unde extra Nazareth nasci voluit , ut qualicunque domesticâ commoditate nascens privaretur . I nunc , qui tam studiosè tuas commoditates consecutaris .

**PUNCTUM II.**

*Occasio.*

Occasio profectionis extitit tributum à Cæsare indictum . Et is quidem ambitione , ad ostendandum imperium , et cupiditate auri ducebatur , in edicto promulgando : Christus autem humilitatis et subjectionis exercenda in dē occasionem sumpsit , ad exemplum .

*Pet. 2.  
13. Quidni ego subjiciam me omni humanae creature propter Deum ?*

**PUNCTUM III.**

*Ratio iti-  
neris.*

Ratio itineris . Singulari totius oris modestia procedebat Virgo , mente in illum , quem gestabat , defixa , tacitaque cum illo loquens , aut de illo cum Josepho . Non gravabat sacra sarcina gestantem , sed

sulevabat ; ac propinquā fruendi illo spe , vires reficiebat : cum alioqui sat prolixa et difficilis via , asperitasque hiemis , teneram virginem fatigarent .

**PUNCTUM IV.**

Quod hospitio excluditur . In propriâ venit , et sui hospitio cum non receperunt . Jam tunc illud implebatur : *Vulpes* <sup>Hospitio</sup> *foveas habent* , *et volucres cœli nidos* : *Filius au-* <sup>excludi-</sup> *tum hominis non habet ubi caput suum reclinet* . Quin <sup>Joan. 1.</sup> *vulpes* , *astuti et cupidi homines* , à suis foveis Christum excludunt : *volucres autem* , *superbi et nobiles* , à suis nidis ; ut stabulum subire debeat , ubi *bos* et *asinus cognoscant possessorem suum* . Mites ac humiles <sup>Luc. 9.58.</sup> *Isa. 1. 3.* viros à se repellunt , quia in eis Christus non agnoscitur . O si cognovisses et tu quam sæpe Dominum repellis à te , et quoties pulsanti non aperis !

**MEDITATIO XVII.**

*Nativitas Christi.*

**PUNCTUM I.**

QUOMODO , imminentे nascendi tempore , quod <sup>Exultans</sup> nec prævenire , nec prorogare Christus voluit , *Exul-* <sup>prodit.</sup> *tavit ut gigas ad currēdā viam* , et istam quidem *Psal. 18.6.* asperam , ac difficilem , ab ipso primo ortu ad exitum usque , à summo usque ad summum , ab utero ad crucem . Deinde , hospitium suum , uterum Ma-

*Roma pro  
hospitio.* tris , Rex tantus haud reliquit indonatum in egressu suo. Quare tunc ineffabili luce ac lætitia Matris suæ animam perfudit. Cavit etiam illi ab omni incommodo , quod alioqui in partu reliquæ mulieres perpetiuntur : nam et sine dolore enixa est , et claustrō virginali nequaquam violato.

**PUNCTUM II.**

*In contempla-  
tione parit.* Virgo præsentiens partum , secedit parumper , totaque in Deum absorpta , præstolatur Salvatorem , Deique salutare : quo repente edito , atque conspecto , quid illa senserit , nec cogitando assequi licet. Agnoscebat filium suum : sed et eundem Filium Dei , verum Deum. Illinc amor ipsam exstimulabat , hinc reverentia retrahebat. Utroque autem attemperato , mixtoque amore cum reverentiâ , gaudio cum lacrymis , infantem in ulnas accipit ; suavitatur ac liquescit anima ejus in complexu nati. *Pannis in  
volvit.* Deinde , pannis eum involvit , quos provida paraverat ; locatumque reverenter in præsepio , prima adorat : gratias agit , quod venisset propter salutem hominum , quodque se dignatus fuisset honore Matris : vicissim ei offert , dicatque sua Matris obsequia , affectu inenarrabili. Simili eum sensu sanctus Joseph adorat , et gratias agit pro nutritiâ sibi munere commiso ; fidelemque suam operam promittit. Faciam et ego.

**PUNCTUM III.**

Mira in hoc Infante expendam : ac præcipue , *Infantis persona.* quod qui Deus est , et sedet super Cherubim , in humi præsepio jacet. Deinde , quomodo gratias agit Patri , cuius voluntate illic reclinatus est , offertque seipsum ad perficiendum opus redemptionis. Clamat etiam ad nos tacitus : *Discite à me , quia misericordia sum et Verba.  
humilis corde;* et : *Nisi efficiamini sicut parvuli , etc.* ; *Matt. 11.  
et : Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste , hic est 29. c. 18.  
major in regno Cœlorum.* Præterea quid agit infans ? *Actions.* plorat et alia agit qua talis. Nam etsi perfectâ utebatur ratione , quæ tamen erant illius ætatis , naturam agere sinebat : quidquid autem ageret , Deo offerebat pro reconciliatione mundi ; infantiles lacrymas , vagitus , et omne tale. Postremò , quæ jam *Passiones.* tunc patiebatur æstimabo ; aspero anni tempore , in tempestâ nocte , loco incommodissimo , in rerum omnium paupertate , et rejectus ab omnibus. Nec ea patitur invitus , aut necessitate ; sed volens , certoque consilio : *Pauper sum ego , et in laboribus à ju- Pr. 87. 16.  
ventute mea.*

**MEDITATIO XVIII.****PUNCTUM I.**

QUOD angeli , viso Domino in præsepi , ob- *Angeli  
tupuerunt , supplicesque eum de Cœlo adoraverunt , adorant.*

*Heb. 1.* 6. jubente etiam Deo Patre : *Et adorent eum omnes angelii Dei* ; et cùm absconditum mortalibus , obscurumque cernerent , gestiverunt omnes venire in terras ; atque illius annuntiare nativitatem : Sic ego accendar studio manifestandi Dei nomen hominibus ,  
*P. 66. 3.* ut cognoscant in terrâ viam ejus , in omnibus gentibus salutare ejus.

**PUNCTUM II.**

*Pastori-* Quòd pastoribus Christus annuntiatur. 1. Non sa-  
*bus an-* pientibus circa Bethleem , quia superbi ; non divi-  
*nuntiatur.* tibus , quia cupidi ; non nobilibus , quia deliciis  
dediti : sed humilibus pauperibus , laboriosis , super-  
*Matt. 11.* que gregem vigilantibus : *Confiteor tibi , Pater , quia*  
*25.* *revelasti ea parvulis.* 2. Annuntiatur gaudium ; cuius  
*Luc. 2. 11.* materia est : *Quia natus est vobis Salvator.* Non sibi  
nascitur , non angelis , sed nobis , qui salute indi-  
gebamus : *Nobis natus , nobis datus , ex intactâ Vir-*  
*gine.* 3. Signa mirabilia indicantur , per quæ repe-  
*x. 12.* riatur : *Invenietis infantem pannis involutum , positum*  
*in præsepio.* Ergò signa sunt , infantia , paupertas ,  
et humilitas. Ex his intelligam , an in me natus sit ;  
si ea vigeant in corde meo.

**PUNCTUM III.**

*Quare mit- Angelorum gratulatio et glorificatio. Mittit Deus*  
*tantur an- angelos , ut sic humiliatum ejus Filium clarificant :*  
*geli.* *quod Deus facere consuevit inter despectiones. Dein-*  
*dè , ut discamus quid nos facere convenient ; quo-*  
*modo*

modò glorificare , et gratias agere , quandò propter nos ille humiliatus est. *Gloria in excelsis Deo :* Quippe non aliud Dei opus magis ad illius gloriam facit , quàm Incarnatio Verbi. Quòd si in Cœlo propter illud glorificatur , utique et in terrâ Deus propter hoc debet glorificari ; quæ ideò dicitur plena gloriâ Dei. *Ita. 6. 3.* O impendam me totum in illam ! *Et in terrâ pax.* Multiplex pax , hominis cum Deo , per remissionem peccatorum ; hominis secum , per subjectionem carnis ad spiritum ; hominum inter se , per concordiam voluntatum : *Orietur in diebus ejus justitia , et abundan-*  
*Ps. 71. 7.* *tia pacis.* Hominibus bonæ voluntatis : Iis nimirū , erga quos benigna est Dei voluntas , quæ est radix nostri omnis boni ; sed et iis , qui ipsi sunt bonæ vo-  
luntatis , ordinatæ in Deum , subjectæque illius legi. Talibus promittitur pax ; non autem iis qui boni sunt intellectiis , aut aliis possent talentis.

**PUNCTUM IV.**

Recedunt angeli , et in transitu invisunt præsepe , ibi canticum repetentes , quantâ Mariæ exultatione !

**MEDITATIO XIX.****PUNCTUM I.**

PROFICISCUNTUR pastores. Non posthabent ac-  
ceptum nuntium , ut quidam divinas inspirations :  
sed hortantur se mutuò ad inquirendum ostensum sibi

*Ezech. 3.* bonum. Est hoc aliquid ei simile , quod apud Eze-  
chiel : *Cherubim percutiebant inter se alas* , quasi  
gestientes , ad obsequium Deo præstandum. Deindè  
etsi non fuerit eis mandatum , nutum tamen pro  
mandato habuerunt , perfectà obedientiâ. Denique  
festinantes querunt , fervore magno ac desiderio.

**PUNCTUM II.**

*Illustrati  
Pastores.* Reperiunt annuntiatum , et adorant. Credibile  
est , ad primum conspectum , ex infantis ore promi-  
cuisse splendorem , simulque intùs illuminatos fuisse  
pastores , ut illum Messiam et Deum esse cognos-  
cerent. Deindè ad hanc illustrationem reverentiâ tac-  
ti , simulque amore succensi , prosternunt corpora ,  
adorant , gratias agunt ; offerunt de suâ paupertate ,  
*Deut. 16.* implentes illud : *Non apparebit ante Dominum va-  
cuus.* Tum ad Matrem conversi , quæ sanctitatem  
spirabat , eam reverenter alloquuntur , gratulantr  
de tali prole , narrant quæ viderant et audierant de  
Puero hoc.

**PUNCTUM III.**

*Recedunt.* Recedunt ad propria , glorificantes et laudantes  
Deum in omnibus quæ audierant et viderant : vel cir-  
ca præsepe ; nam viderant Infantem admirabilem ,  
et audierant ibi aliqua mirabilia de illo à Matre : vel  
antè , ut ea quæ audierant ab angelo ; et confe-  
rendo ea cum visis ad præsepe , laudabant Deum.  
Deindè hæc audita et visa narrabant aliis : ei omnes

qui audiverunt , mirati sunt. Tum apud præsepe nar-  
rabant , quòd alii aliqui confluxerant , exciti adventu  
pastorum ; tum obviis , ut fit in rebus insolitis. Porrò  
ceteri mirabantur : *Maria autem conservabat omnia Luc. 2.19.*  
verba hæc , conferens in corde suo. Quatuor genera ho-  
minum . 1. Quidam , etiam auditis , nihil moveban-  
tur , alii intenti. 2. Aliqui illac transentes , et in-  
trospicientes , nihil notantes singulare , præteribant.  
3. Alii fide vivâ accedentes , agnoscent et adorant ,  
fructumque referunt ; sed recedunt ad sua. 4. Alii  
inhârent , ut Maria et Joseph ; volvuntque assiduè ,  
et inter se conferunt mysterium.

**MEDITATIO XX.****PUNCTUM I.**

*ÆSTIMANDA* in Matre et sponso obedientia le-  
gi , ob quam subjecerunt circumcisioni Filium. Item  
affectus Matris in ipso actu : quâm compaticebatur !  
quâm blandè fovebat Circumcisum ! quâm diligentia  
plagam curabat ! quâm pietate primitias sanguinis ,  
cum Filio , Patri offerebat ; cujus guttula , vel sola ,  
ad redemptionem nostram satis futura !

**PUNCTUM II.**

Christi  
obedientia. Qualis in circumciso Infante affectus. 1. Obedientiae erga legem durissimam , in quâ poterat secum dispensare , ut Deus : aut quâ etiam non tenebatur , quippè ab originali culpâ immunis ; cuius erat testificatio ipsa circumcisio ; quam suscipiendo , Humilitas. versæ legis facienda debitor siebat. 2. Humilitatis , dum notam peccatoris accipit ; nos autem qui verè Patientia. sumus peccatores , renuimus videri , aut dici. 3. Patientiae in ferendo vulnere , ob teneram complexionem , valde acri. Porrò ita sensibilis doluit et ploravit , ut simul gauderet ob impletam in eo Patris Caritas. voluntatem. 4. Caritatis , tum erga Patrem , tum erga nos , quâ etiam totum sanguinem dare , innumerasque plagas accipere , paratus fuit.

**PUNCTUM III.**

Circumcisio spiritualis. Est quædam spiritualis circumcisio , quam Christus nos docet suâ corporali ; nempe superflua abjicere in vitæ commodis , et inordinatos affectus resecare. Hanc nostram circumcisionem qui juvant , ei-que cooperantur , amandi sunt : nempe qui vel in commodo , vel injuriâ aliquâ nos afficiunt ; undè nimius nostrî , et honoris proprii amor castigatur. Deindè considera quod Christus tripliciter sanguinem fudit. 1. In circumsione , à suis , debito et sancto ministerio. 2. A seipso in horto , per vehementem cum imminentे morte conflictationem , animi sponte Sanguinem fudit  
ter.

*De impositione Nominis Jesu. 209*

susceptam ; à Satanæ ministris in Passione ipsâ. Ita etiam circumcision nostra , partim ab iis qui præsunt , perfici debet , amputando occasiones , et mortificando subditorum affectus , detrahendoque non necessaria : partim à nobis ipsis , per voluntarias mortifications : partim ab adversariis et calumniatoribus. Offeram me ad omnem modum.

**MEDITATIO XXI.***De impositione Nominis Jesu.***PUNCTUM I.**

NOMEN Christo imponitur à Deo , qui solus potuit nominare ipsum , ut solus noverat finem et officium illius. Nominavit autem Jesum , hoc est , Salvatorem : quod nomen si quidam alii acceperunt , ut in figurâ tantum acceperunt , et secundum quid ; Christus autem simpliciter et excellenter , multis modis. 1. Quia ab omni simpliciter malo nos liberat. 2. Quia sic liberat , ut simul introducat in omnem genus boni , in hac vitâ et alterâ. 3. Quia modo singulari liberat , quod sit Deus et homo : undè fit ut , persoluto pretio , ad æqualitatem redimat , non pro potentia tantum liberet ; qui dicit : *Ego qui loquor Isa. 63. 1. justitiam , et propugnator sum ad salvandum. Igitur , in Habac. 3. Domino gaudebo , et exultabo in Deo Jesu meo.* Porrò <sup>18.</sup> Beata Virgo Maria prima fuit , quæ infanti jam nato <sup>B. V. no-</sup> men <sup>antonio-</sup> masia <sup>dit.</sup> hoc nomen imponendum edixit ; et prima illud pro-

nuntiavit : *Jesus est nomen ejus.* In pronuntiando autem, tum ipsa præcipue, tum Joseph, et astantes mirâ perfusi sunt suavitate, tanquam ex effuso foras *Cant. 1. 2.* unguento. Quippè *Oleum effusum nomen tuum*, ô Jesu ! idèo adolescentula dilexerunt te : in primis Mater, cujus spiritus exultavit in Deo salutari suo, in Deo Jesu suo. Impositum sibi nomen acceptavit Infans, gratiasque egit Patri æterno pro nomine, et officio, ad equeendum illud paratissimus.

**PUNCTUM II.**

*Cur in Circumcisione da-* clarificandum ipsum, ut quia tanquam esset peccator, circumcidetur, ex nomine innotesceret eum esse Salvatorem qui tollit peccata mundi. 2. Ad significandum, quod Salvator veniret per sanguinem; cujus modo quasi primitias offerret, datus postea totum.

**PUNCTUM III.**

*1 Cor. 12.* Excellentiae hujus nominis ; quod si nec nominari potest, nisi in *Spiritu sancto*, ut ait Apostolus, quis *Excellens* hujus nominis ejus excellentias assequatur ? 1. Complectitur perfectiones divinas inferentes; qui si Jesus est, utique in facto bonus, sanctus, sapiens, omnipotens, misericors; sunt enim haec necessaria ad salvandum : *1 Cor. 1.* quare *factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio.* 2. Complectitur omnia dona gratiae et virtutum : quia de plenitudine ejus parti-

cipare debent, qui salvantur. 3. Officia omnia illius : quod sit magister, medicus, pater, judex, advocatus, pastor, protector, Jesus meus, et omnia. 4. Est compendium aliorum nominum apud Isaiam : *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus Isa. 9. 6. fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* 5. Est mihi fons et origo bonorum omnium : in hoc datur remissio peccatorum, orationes à Deo exaudiuntur, ægri- tudes spirituales curantur, tentationes vincuntur, dæmones prolligantur, pericula avertuntur ; est lux, et dux, atque ad omnes virtutes stimulus.

**MEDITATIO XXII.***Magorum profectio Hierosolymam.***PUNCTUM I.**

**APPARITIO** stellæ. Voluit Deus, sicut in Judea pastoribus, ita etiam gentibus manifestare ortum Salvatoris, atque ad adorandum vocare : siquidem omnium erat Salvator, tum Judæorum, tum gentium. Illis autem per angelum, his per novam stelam significavit, juxta vaticinium Balaam. Multi etiam alii eamdem stellam viderunt, et quem indicaret conjecterunt ; sed hi tantum Magi ad inquirendum permoti sunt. Sic plerique commodis temporibus intenti, posthabent lucem divinæ inspiratio- nis, relinquentes iter rectum, et ambulant per vias te- nebrosas ; aiuntque illud : *Leo est in viâ; occidendum* <sup>Prov. 2. 13. c. 26. 13.</sup>

*Job 6. 16.* sum ; prælexentes excusationes. Sed qui timet priu-  
nam , irret super eum nix : et isti pro temporali in-  
commodo incurunt æternum. Singulare beneficium  
Magis collatum , ut præ tot aliis efficacius moveren-  
tur , ut , omnibus postpositis , quærerent Christum ,  
*Gen. 12. 1.* quale Abrahæ : Egressere de terrâ tuâ. Optem ita  
vocari ; et si vocatus sum , mundumque reliqui , ut  
Christum invenirem , gratias agam. Nam alioqui ,  
*Matt. 20.* Multi sunt vocati ; pauci verò electi , ita ut obtem-  
perent.

**PUNCTUM II.**

*Stella du-* Profectio Magorum. Dant se viæ : et ecce vident  
cit. stellam præire ducem , ut olim Hebreos antecede-  
bat columna , nubis per diem , ignis per noctem.  
Nempè aggredientibus magno animo servitum Dei  
*Sequuntur.* adest gratia singularis ad prosequendum cœpta. Se-  
quuntur stellæ ductum in neutram partem declinan-  
do , et cum illâ vel quiescendo , vel se movendo ;  
ita ego ductum rectæ rationis , supernaturale item  
lumen , et illustrationes à Deo immissas , et deni-  
que superiorum , et spiritualis patris directionem ,  
separ , quasi totidem stellas , vel unam potius ex  
pluribus coagentatam. Appropinquantibus illis Hie-  
rosolymam , subducitur aspectibus eorum stella ad  
fidei constantiæque probationem ; ac licet tristati  
fuerint , non tamen à cœpto destiterunt. Ita nos ,  
cùm subtrahitur consolatio , non resilieremus. Conver-  
terunt autem se ad media ordinaria , quærendo ex

alii , sicuti Sponsa : Num quem diligit anima mea *Cant. 3. 3.*  
vidistis ? Adeundi prælati , et qui nos juvare queunt.

**PUNCTUM III.**

Interrogant audacter de rege nato. 1. Elucet fi- fides.  
des eximia. Non quærunt an sit natus ; sed de loco  
tantum , quasi de re nihil dubitent. 2. Magnitudo Magnani-  
animi. Non verentur , in regiâ civitate , et aulâ ipsâ , mitas.  
alium regem Judæorum quærere , quâm qui præ-  
sidebat. Quâ tantâ illorum confidentiâ turbatur He- Turbatio.  
rodes , ipsi verò minimè. Cum Herode turbatur ci-  
vitas , quæ potius gaudere debebat , cùm ex Messiæ  
expectatione , verique sui Regis , tota penderet ; sed  
fit ut potentioribus consentiatur , etiam in malo.

**PUNCTUM IV.**

Herodes inquirit ex sacerdotibus. Elucet mira pro- Herodes  
videntia Dei. 1. Quòd iniquum faciat cooperari suo locum de-  
consilio ; diligentiâ enim Herodis patefit locus nati- signat.  
vitatis. 2. Quia per malos ministros et sacerdotes  
aperit sensum Scripturarum pis : *Labia enim sacer- Malach. 2.*  
dotum custodient scientiam. 3. Quòd Scriptura sit lu-  
men ad inveniendum Christum ; que cùm habetur ,  
non est opus aliâ stellâ : *Scrutamini Scripturas : illæ Joan. 5.*  
sunt quæ testimonium perhibent de me. 4. Judicium <sup>30.</sup>  
Dei ; quòd gentiles è longinquo cum labore veniunt  
adoratum ; Judæi autem , quibus promissus , et in-  
ter quos erat , non se loco movent , scilicet : *Nemo Joan. 6.44.*  
potest venire ad me , nisi Pater meus traxerit eum.

**MEDITATIO XXIII.***Inventio et adoratio Regis nati.***PUNCTUM I.**

PROSEQUUNTUR Magi iter, et iterū vident stel-  
lam. Cùm primum de loco nativitatis indicium acce-  
perunt, relicto aulæ strepitu, pergunter. Non nisi ex  
necessitate, inter tales morari oportet viros religio-  
sos. Quin ipse rex David à tumultu cupiebat libe-  
ps. 54. 7. rari: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et vola-  
bo, et requiescam?* Nota etiam bonitatem Dei, qui  
Magos jam ex indicio pergentes, voluit solari, redi-  
ps. 93. 19. ditāstellā; undē illi mirifice recreati sunt: *Secun-  
dum multitudinem dolorum meorum, consolations tuæ  
lætificaverunt animam meam.* Ità Deus agit cum ho-  
mine.

**PUNCTUM II.**

Appulsus in Bethleem, et ingressus in domum.  
Stopor Regum. 1. Stupent, cùm vident stellam super casam stare;  
sed continuò illustrati, discunt quòd regnum ejus  
Jesus et non est ut regnum mundi. 2. Inveniunt puerum  
cum Marià matre ejus. Sic etiam pastores. Non fa-  
cile disjunguntur Jesus et Maria, et debent in af-  
fectu nostro conjungi. 3. Ad conspectum infantis  
emicuit ex ejus vultu radius, qui etiam mentes Ma-  
gorum illuminavit, ut agnoscerent illum esse verum  
Illustran-  
tur Reges.

*Inventio et Ador. Regis nati.* 215

Deum, Regemque et Salvatorem. Undē gaudio  
magno perfusi sunt, magis quā ex revisâ stellā. Et  
utique erat Christus *Stella matutina.* Quarē imple-  
tum tunc in Magis illud: *Satisabor cùm apparuerit*  
Apoc. 2.  
28. c. 22.  
16.  
*gloria tua.*  
Ps. 16. 15.

**PUNCTUM III.**

Magi adorant et offerunt. 1. Procident ad terram  
Reveren-  
totis corporibus, simulque animis demississimè pros-  
ternuntur; implerique cœpit: *Coram illo procident psal. 71. 9.*  
*Ethiopes, et iniicii ejus terram lingent.* 2. Fuit ado-  
ratio latræ, tanquam vero Deo exhibita, pro salute  
hominum facto homini; pro quo in genus humanum  
beneficio, proque singulari erga se, Magi gratias ex  
intimo corde Infanti egerunt; impleveruntque illud  
pro suâ parte: *Et adorabunt eum omnes reges terræ,*  
ps. 71. 11.  
*omnes gentes servient ei.* O servant illi omnes, ac im-  
primis ego! et tandem fiat ei quod apud Isaiam:  
*Mili curvabitur omne genu.* 3. Promunt aurum Regi,  
Isa. 45. 24.  
Oblatio  
thus Deo, myrram Homini mortali; necnon in-  
terna: aurum caritatis, thus devotionis et myrram  
mortificationis, quæ et ego offeram; ac, si religiosus  
sum, trina vota. In myrrâ offeram castitatem, quâ  
caro à corruptione præservatur; in auro, pauper-  
tatem, quæ omnibus se abdicat Christi causâ; in  
thure obedientiam, quæ est oblatio totius hominis  
in odorem suavissimum Deo. Nec bonus Jesus di-  
misit indonatos, aut se vinci liberalitate passus est.  
Reddit vicissim Magis, aurum sapientiæ, quâ

mysterium incarnati Verbi percepérunt; thus insig-  
nís devotionis, internæque consolationis; myrrham  
incorruptionis à peccatis, ne posthac laberentur le-  
thaliter; quæ est confirmatio in gratiâ. Ita piè credi  
potest.

#### PUNCTUM IV.

Colloquia Magorum cum Mariâ. Narrabant de  
stellâ, de gestis Hierosolymis; circumspiebant  
casam, præsepia, pannos, ipsam Matrem admirab-  
bantur. Illa vicissim conservabat omnia, conferens in  
corde suo; laudabat eorum fidem, confirmabat. Non  
adseruerat initio Joseph, ut indicaretur Infantem hunc  
non habere Patrem in terris, quâ homo erat: su-  
perveniens autem Joseph, quæ sensit? quæ dixit?  
Cùm pernoctassent ibi, admonentur in somnis, ne  
redirent ad Herodem, quod ille petierat; ne ipsi et  
Infans in periculum adducerentur. Parent, et alia  
viâ revertuntur, gratulantes sibi pro suscepto labore.  
Ita iis contingit, qui constanter Christum querunt.

#### MEDITATIO XXIV.

##### *Purificatio Matris et Præsentatio Fitii.*

#### PUNCTUM I.

B. Virgi-  
nis virtu-  
tes.

VIRGO implet legem purificationis, quæ jubebat  
mulierem quæ peperisset masculum, oblato sacrificio,  
purificari in templo post quadraginta dies. 1. Libenter

se continevit per illos dies in illâ casâ, intenta aleando  
filio, et defixa in contemplatione tantæ rei. 2. Eni-  
tuit puritas, quod, cùm purissima esset, adhuc vo-  
luit purificari. 3. Obedientia erga legem, à quâ ta-  
men erat exempta, quod concepisset, non suscepto  
semine. 4. Humilitas, profitendo se indigere purificatione,  
dum ritum servabat: offerendo *pullum columbæ*, <sup>Lepit. 12.</sup> aut turturam pro peccato; sicut Filius se pec-  
catorem exhibuit, admissâ circumcisione. 5. Amor  
paupertatis, quia non agnum obtulit in holocaus-  
tum, sed pullum columbæ, aut turturam, quod  
permittebatur pauperibus; et potuisse procurare  
agnum ex oblatione Magorum, sed maluit ex pau-  
peribus esse. 6. Devotio et reverentia, quâ munus  
suum obtulit sacerdoti, petens pro se orari. Hæ sex  
virtutes sunt instar sex foliorum lili candidissimi: <sup>Cant. 2. 2.</sup>  
*Sicut lumen inter spinas, sic amica mea inter filias.*

#### PUNCTUM II.

Lex altera jubebat offerri Deo omne primogeni-  
tum, in memoriam liberationis ex Aegypto, ab in-  
ternecione primogenitorum omnium, tam hominum,  
quàm pecudum. 1. Devotè offert Patri æterno Fi-  
lium ipsius, et proprium; oblatione significatâ præ-  
teritis seculis per tot illas primogenitorum oblatio-  
nes, et optatissimâ ipsi Patri æterno, multoque ac-  
ceptiore, quàm Abelis, Noë, Abraham, omnibus  
que mosaïcis sacrificiis, per quam petebat pia Ma-  
ter toti mundo salutem et reconciliationem. 2. In-

DUPONT. Compend. I.

N

Ipsius  
Christi.

Oblatio  
B. Virg.